Morbio 27 (112)

Nos Carolus Flaschus Comes Iudex Sapientum et Sapientes

Magistratus Ciuitatis Ferrariæ

D. Equiti Gregorio Giraldj

S. P.

Rigida nimis Lex illa Lycurgi, quę Thebanam cuiq. interdicebat Ciuilitatem; Urbis lesit decus, dum nimium excoleret, auaroq. affectu iacturam fecit Reipub., dum in Reipub. gremio honores seruauit. Occulte enim tabis uitio dilaberentur Ciuitates, nisi insignium Exteror. amplexu floridam repararent ubertatem. Quippè concidunt lethalj ferro Nobilium capita, quę uel belligeris sudorib. Martis irrigauere laurus, uel consiliaria Pacis in Magistratuum subselijs Reipub. statuere iura, et, quod magis ingemiscimus, aliquandò absque natis onerosas spes Auor. sepulcralj cinere obuoluunt. Ita Fatorum quotidiè satiamus esuriem, et prescripta metimur tempora; humana labuntur, et fluunt, atq. Urbium quantumcumq. fuerit incrementum non nihil aberit à nihilo, nisi instauretur quotidiè. Liberalis latiùs Romanorum certauit genius, qui ob benemerita alienigenas Ciuitati donabant in pretium, et uadimonium uirtutis; Ita exteros amplexi Ciues imensam adoleuerunt ad gloriam, ut longinquis affluentib. Populis parum interfuerit inter Urbem, et Orbem. Et sanè amicitię ingenitę robore ciuile nascimur ad consortium. Hominum ea propria est conditio, ut sociale ament uinculum, et amico fędere peruetrare sciant regiones, quas remota nobis littora discernunt. Magistratuum propterea, quos Vitę ciuilis necessitas ad erudimenta uirtutum instituit, atq. reformauit precipuum illud est onus, ut egregior. Ciuium cooptatione uegetiori Ciuitatum faueant amplitudini. Quid Nobis igitur Decemuirale munus obeuntib. magis in Votis quàm Ferrarien. Ciuitatem Exteror. copia, quos Generis probitas, morumq. extollit claritudo, latiùs extendere. Quoniam itaq. inter Ciues nostros coadoptari efflagitasti, Nos tuj Generis attento decore, nec non meritor. tuor. affluentia tuis petitionib. assentirj decreuimus. Occurunt etiam D. Hieronymi filij tui benemerita, qui à floridiori Ętatis suę uere litterarię nostrę Palladis educatus inter amplexus egregia scientiar. prębuit specimina; Nostrum enim iamdudum eum agnouimus, dum scientificas palmas eruditis irrigauit sudorib., ut meliori gloria, quam in Olimpico puluere hic Astreę collegerit laurus. Nos igitur de tua Beneuolentia erga Ciuitatem nostram confisi Te D. Equitem Gregorium Giraldi olim D. Francisci Centen. unà cum DD. Doctore Hieronymo predicto, et Benedicto filijs tuis, ceterisq. ex te natis, et nascituris in perpetuum, nec non et cum DD. Antonio, et Philippo Nepotib. tuis natis ex olim fratre tuo amantiss. D. Joanne Bapta. ... D. uniuersa cum eor., et singulor. Omnium posteritate Ciuem, seù Ciues nostros Ferrarien. facimus, constituimus, creamus, et denuntiamus cum omnib., et singulis beneficijs, honorib., et prerogatiuis, quib. ceterj Ciues nostri Originarij Ferrarię, aut ubiq. locor. potiuntur, uel imposterum potirj contigerit: ea tamen lege, et conditione, ut à Dat. presentium in hac Ciuitate, uel eius Districtu uerè, et realitèr habites, ac moreris, seù habitent, ac morentur, atq. indè possis, et possint frui, et gaudere omnib., et quibuscumq. commodis, honorib., priuilegijs, et prerogatiuis, quib. ceteri nostri Ciues originarij fruuntur: his ~~tamen~~ [tantum] exceptis: nempe ~~Bonis feudalib. in hac Ciuitate, et Ducatu Ferrarien.; Beneficijs Ecclesiasticis in hac Dioecesi et~~ Dignitatib. Aduocatj Concistorialis, Auditorisq. Sacrę Romanę Rotę. Possis proptereà, et possint in dicta Ciuitate, et eius Districtu, et Jurisdictione emere, acquirere, et ex quocumq. titulo contrahere, et distrahere, et possidere, atq. ex Edicto hoc nostro hereditates quascumq., uel ex testamento, uel ab intestato, uel ex quacumq. alia ultima uoluntate adire liberè ualeas, et ualeant. Omnib. deniq. Institutis nostris, ac legib. Tibi, tuisq. ut suprà, et eor. Descendentib. in perpetuum, pindè ac Ciues nostrj fruuntur liceat utj, et gaudere. Mandantes Magistratib. Ditioni huius Ciuitatis quouis modo subiectis, Omnibusq. ad quos pertinet, ut hoc nostrum Ciuilitatis Decretum Tibi, ac Tuis ut suprà, et Descendentib. perpetuò, et inuiolabiliter seruent, ac seruarj faciant, non obstan. quibuscumq. in contrarium facientib. In quor. omnium testimonium, et fidem presentes nostras patentes litteras, et Decretum fieri, et registrari, nostriq. maioris Sigillj appensione muniri iussimus. Dat. Ferrarię ex solita Nostra Residentia Anno Dominj Millesimoseptingentesimosecundo: Indictione Decima: Die uero Decimaoctaua Mensis Decembris: Pontificatus autem Sanctissimj in Christo Patris, et D. N. D. Clementis Diuina Prouidentia Papę Undecimj Anno Tertio.

Carolus Flaschus Iudex Sap.tum

Sapientes Magistratus Ciuit. Ferrarię

Joseph [illegible] Ill.mæ Ciuit. Sec.rius

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1871587395-13/fragment/page=0001

1702
Dec. 18

Morbio 27 (112)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1871587395-13/fragment/page=0002